

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 975

**Auteur(s) :** Eugène III [pape]

**Bénéficiaire(s) :** Hugues d'Amiens, Rouen (archevêque)

**Bénéficiaire(s) :** Arnoul, Lisieux (évêque)

**Genre d'acte :** bulle

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1153, 9 février

**Lieu d'émission :** Rome

**Action juridique :** autre

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Le pape Eugène III écrit à Hugues, archevêque de Rouen, et à Arnoul, évêque de Lisieux, pour leur demander de résoudre une question d'argent entre Richard de Bohon, ancien doyen de Bayeux, évêque de Coutances, et Philippe de Harcourt, évêque de Bayeux.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Bourrienne Valentin (Abbé), *Antiquus cartularius ecclesiae Baiocensis (Livre noir)*, Rouen-Paris, Lestringant-Picard (Société de l'histoire de Normandie), 1902-1903, 2 vol., n° CLXXXV, t. 1, p.230-232.

b. Ramackers Johannes, *Papsturkunden in Frankreich*, Neue Folge 2 Normandie, Göttingen, Vandenhoeck & Ruprecht (Abhandlungen der Gesellschaft der Wissenschaften zu Göttingen. Philologisch-historische Klasse, 21), 1937, 2 vol., n° 70, p. 149-150.

## Dissertation critique

Datation proposée par V Bourrienne et J. Ramackers.

Texte établi d'après a

Eugenius, episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Hugoni, Rothomagensi archiepiscopo, et Arnulfo, Lexoviensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem. Veniens nuper ad nostram praesentiam venerabilis frater noster Ricardus, Constantiensis episcopus, audientiae nostrae suggessit quod, cum decanus esset Baiocensis ecclesiae, redditus decanatus, urgente (sic) necessitate, pignore obligavit, et quum prius fuit ad officium pontificatus assumptus quam pecuniam ipsam posset exsolvere, de redditibus decanatus ad solutionem ejus, interventu nostro, petiit adjuvari. Postmodum vero, venientis ad nos venerabilis fratris nostri Philippi, Baiocensis episcopi, suggestione accepimus quod antedictus frater noster pecuniam illam, non pro ecclesiae Baiocensis utilitate, aut sui honesta necessitate, suscepit, sed ut cancellariam sibi nobilis memoriae Gaufridi, quondam Andegavensis comitis, compararet, et cum in capitulo Baiocensi se infra biennium soluturum eandem pecuniam promisisset, licet multum post decanatum habuerit, debitum tamen ipsum, ut promiserat, nequaquam exsolvit. Porro nos quicquid ille nobis officii sui gravitate neglecta suggesserit, quicquid ei nos fraternitatis intuitu indulserimus, nec eum apud nos suggestione falsa volumus adjuvari, nec ecclesiam Baiocensem, per hoc quod ab

eo non tam consulte quam temere, nec tam utiliter quam ambitiose factum esse, constiterit detrimentum aliquod sustinere. Quum igitur indignum est ut illius levitas, si qua fuit, in dampnum debeat ecclesiae redundare, per praesentia vobis scripta mandamus quatinus, usque ad Natale Apostolorum, quam cicius in unum convenientes, utrumque praedictorum fratrum nostrorum ante vestram praesentiam evocetis ; et si frater noster Constantiensis non potuerit rationabiliter demonstrare, ac probare sufficienter, quod pecuniam illam pro sua honesta necessitate, quam vos videlicet iudicetis honestam, acceperit, aut in utilitatem ecclesiae Baiocensis expenderit, eum ad solutionem ipsius liberandosque redditus Baiocensi ecclesiae, nichil utilitas (?) ei contra justiciam nostris litteris afferentibus, taliter impellatis ut ipsa ecclesia, post datam a vobis sententiam, nullam exinde fatigationem debeat aut dispendium sustinere. Praeterea, quum antefati fratris nostri Baiocensis adversus eam (?) querelam accepimus quod quamdam domum, ad jus ecclesiae Baiocensis, sicut asserit, pertinentem, haereditatis titulo nititur detinere, nichilominus caritati vestrae mandamus quatinus, utriusque rationibus pleniter inquisitis et cognitis, causam ipsam mediante justitia terminetis. Porro, ne alterutra partium diutinis super his contentionibus fatigetur, volumus ut utraque istarum causarum, sine remedio appellationis, sub examine vestro finem debitum sortiatur. Data Romae, apud Sanctum Petrum, quinto idus februarii.